QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, die Iouis XXIII. Ianuariis.

M. ANTONIO MORAND, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE

An Pueris acutè laborantibus Venæ Sectio?

I.

CERTIS quia labuntur, velis nolis, cuncta temporibus, nihil ſemper floret, ætas ſuccedit ætati, & vt in vitam, ſic in mortem per vices itur: An propterea cogitatio in pectus tuum deſcendet, tantas iſtas mutationes perſpectis annorum ſpatiis definiri, notiſque poſſe limitibus coërceri? lex id vetat Apollinea, vt ſit ætas id vitæ curriculum quo luculenter corporis temperamentum per ſe ſuaque ſponte mutatur. Lucis ingreſſu ex ſemine & ſanguine conflatus & conglutinatus homo, & humidiſſimus & calidiſſimus manifeſtè deprehenditur, ſicque principiorum naturam redolere neceſſum eſt, cùm ex humida calidaque ſubſtantia corpus ejus oriatur, quò vnumquodque generationi ſuæ vicinius eſt, eò humidius & calidius, vti quantum ei in vitæ finem declinandum ſit, tantum & ſiccitate contabeſcat; tum ignis virtute partes humidas exſiccantis, cùm aſſiduâ caloris actione humidum abſorbentis; Nolim tamen exiſtimes princeps animal, primis ineuntis infantiæ

268

aut pueritiæ diebus & annis, debuiſſe cæteras ætates aut firmitate corporis, aut animi robore ſuperare.

II.

SI conſtet inter omnes, Pueros facultatis munere Iuuenibus anteïre, quòd abundent, vt in lucem editi ſunt, genuino nectare & ingenti calore, quantoque perfectiora fuerint eorum opera, tanto caloris & humidi vim atque ſubſtantiam vberiorem adeſſe, vnde, amabò, omni licèt ætate omnes homines in morbos incidant, Puerili grauiſſimis afflictantur & acutiſſimis, qui cum magnitudine & vehementia celeriter ſua percurrunt tempora, ſæuiſſimiſque ſymptomatis ingruere ſolent, ijque mortiferis vrgentur? Res ipſa loquitur, facilè calida humidaque corpora putreſcunt, cùm inſitus eorum calor imminuitur, parteſque corporis inter ſe diſſident: Et vbi ſanguis corruptus eſt, ex quo prauitas omnis, aut citra labem is caluit, tot morbis & ægrotationibus vndique circumfunduntur, vt cogitet conſtantium hominum nemo, non ſilicernium, quibus poſſit artibus repueraſcere; præſtat eos juſtis viuendi legibus continere, & vbi contenta nocent, interiores acutorum morborum cauſæ, euacuationem accedere, quæ noxiorum eſt expulſio.

III.

QVOD alienum eſt, quia Naturæ moleſtum, idipſum & Ars jubet extrahere radicitùs, nec aliàs in eam rem potiſſimùm machinas adhibet, quàm aut venæ Sectionem aut purgationem, vt ſublatis cauſis opprimentibus, vires ilico reſurgant, quæ aliàs affectionis diuturnitate conciderent; At periti eſt artificis morbi vim & ſubſtantiam demere viribus quàm fieri poteſt, minimùm oblæſis, tunc enim Natura noxiorum humorum onere leuata, in priſtinum ſtatum reſtituitur: cúmque Puerorum ætas, in qua humanum genus ſpes atque opes ſuas omnes collocat, virium ſubſtantiâ præ cæteris abundet, & ætate ſenili, quæ & frigidiſſima & ſicciſſima eſt, quotieſcumque graui Peripneumoniâ, vel pungente Pleuritide torquetur, vtiliter ſanguis effunditur, potiori jure carnoſi Pueri & liberaliter educati, quibus venæ ſanguine diſtenduntur,

quàm mox sectâ venâ seruabuntur, sic Febres omnes, antequam sanguis exuratur, aut putredo latiùs diffundatur, & obscurè serpens medullitùs in eorum corporibus insideat, generosissimo præsidio penitus extingues, quo vitam ad extremum senium integrâ & incorruptâ sanitate ducant.

IV.

ARTIS præstantissimæ tam antiquum & humanum opus est Venæ Sectio, sine cujus adminiculo vix Purgatio decernitur, vt tibi non congruat habere religioni, cui propensior benignitas esse debet in calamitosos, si diobolaris Hæmophobus præstoletur in omnibus morbis vel etiam acutissimis, dum signa coctionis eluceant, ipso statim initio, qui sanctioris disciplinæ jura calles, venam exolue; vbi enim plenitudinem exemeris, quæ malis ansam dedit, & quæ miseros ægrotantes in vitæ perniciem deduxit, in vado res erit. Et quoniam in Arte nostra cunctari periculosum, dum insulsus Seplasiarius animum & prudentiam perpetuùm despondet, ignarus quid virtus valeat, aude constanter quæ sapientis consilium postulet, interest enim non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint, firmus puer & robustus senex & grauida mulier valens, sectâ venâ curantur; multisque nominibus Sanguinis missio tum purganti medicamento, cum subsidijs de more sequacibus præstabit, ne temerè subscribas ijs qui candenti ferro tenellulorum infantium occipitium adurunt, quîa morbis puerilibus vindicentur.

V.

MIRABILITER in omni pura vel impura plenitudine intercisa Vena succurit, nec homo toto vitæ decursu frequentiusse cibis ingurgitat quàm cùm in teneris est, vt immensam tunc ejus gulam diceres. Suis viribus & adeo validis nititur hæc ætas, vt sponte naturæ Pueris etiam nefrendibus sanguis interdum abundè prodeat è naribus non importato corpusculis detrimento. Ergo si prava quædam corporis affectio qualis est inflammatio, Iecur, Cerebrum partesque Cordi connexas occuparit, vt grauis inde concitetur agitatio, languidior euadat appetentia, sitis enecet, dolor excruciet, somno omnium laborum & solicitudinum

perfugio priuetur æger, Morbillorum & Variolarum insatiabilis crudelitas, intolerabilis fœditas & immanis audacia deterreat, lactumen deturpet, macie corpus extabescat, vrat intertrigo, typhus incurrat, ardens febris extorreat, inordinatè vaga redeat, stata remittat, querquera quatiat, synochus vrgeat, morbus Puerilis incruciatum insiliat, solstitialis sæuitia gliscat, neruus & musculi conuellantur, sæua Phrenitis rabiem effundat, Apoplexia terribili veluti jactu fulminis percellat, capitis ardor impetat, strangulet Angina, acerbissimus aurium cruciatus exanimet, lateris dolor consumat, renes doleant, dirusque torminum affectus vires prosternat & fundat, venam abscinde, nec justioribus armis, innumeras tristis Morboniæ cohortes quæ Pueris imminent, exarmabis.

Ergo Pueris acutè laborantibus Venæ Sectio.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes de Saint-Yon.	*M. Ioannes Maurin.*	*M. Franciscus Mandat.*
M. Petrus Regnier.	*M. Iacobus du Val.*	*M. Claudius Lienard.*
M. Ioannes Hamon	*M. Simon Boulot.*	*M. Renatus Moreau, Prof. Reg.*

Proponebat Lutetiæ STEPHANVS BACHOT, Senonicus, A. R. S. H. M. DC. LII.

cette these est la 974.e du tome VI du recueil in folio des theses de la faculte